

Electavt sol
Vniversitatis
Vrsaonensis
Collegii Maioris, &
gloriosae
IMMACVLATA FVISTI IN CONCEPTIONE TVA
RGO MARIA
nOssun
Anno
D. Bruno Ferz à Corduba
huius Univ. Bacal. in S. Canon.
fecit

COPIA EPISTOLÆ,

QVAM SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

CLEMENTI XI.

PONTIFICI OPTIMO MAXIMO

SCRIPSIT

VNIVERSITAS PONTIFICIA,
& Regia Vrſaonenſis

SVPER OBEDIENTIA CONSTITVTIONIS
Vnigenitus.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO CLEMENTI XI. PONTIFICI OPTIMO MAXIMO

VNIVERSITAS VRSAONENSIS OBEDIENTIAM HVMILITER PRÆSTAT

BEATISSIME PATER.

LÆTATI sumus in his, quæ dicta (1) sunt nobis, quòd celsitudinis authoritate, divinarum litterarum documentis, & sacrorum dogmatum doctrina B. V. deteſtabiles cuiuſdam Novatoris errores (quos ex venenatis fontibus, & ex famosis Ianſenij propoſitionibus hauſerat) Apoſtolico mucrone debellavit, (2) caput eius confringens; (3) molas, denteſque ſuos conterens.

(1) Pſalm. 121. ℣. 1.

(2) Pſalm. 73. ℣. 13. & 14.

(3) Pſal. 57. ℣. 7.

Venientes autem (4) cum exultatione ad te, B. P. venimus (5) non in ſublimitate ſermonis,in verborum dulcedine, & decore; quia (6) eloquentia tantò terribilior, quantò purior; aut (7) ſapientiæ altitudine nolentes multiplicare (8) loqui ſublimia: non (9)in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, vt fides noſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei.

Altiora non quærimus, (10) nec fortiora ſcrutamur, quæ vires intelligentiæ noſtræ tranſcendunt; non eſt (11) enim exaltatum cor noſtrum, neque elati ſunt oculi noſtri, ambulantes in magnis, ne (12) magnitudinis ſcrutatores opprimamur. Non abſcondimus (13) ſapientiam veſtram, B.P. in decore ſuo,ſicut plurimi adulterantes illam, (14) qui cum (15) inſtabiles ſint, eam depravant ad ſuam, & aliorum perditionem: nec retinemus (16) fidei verbum in tempore ſalutis; quinimò, facta voce Conſtitutionis VNIGENITVS, convenit Vniverſitas hæc

(4) Pſalm. 125. ℣.6.
(5) 1.Cor. cap. 2. ℣.1.
(6) Augu. apud Hugon. 1. Cor.c.2 ℣.1
(7) 1. Cor. cap. 2. ℣.1.
(8) 1. Reg. cap. 2.℣.3.
(9) 1.Cor. cap. 2.℣.4.& 5.
(10) Eccl. cap.3. ℣. 22.
(11) Pſalm. 130. ℣.1.
(12) Prov. cap. 25.℣27.
(13) Eccl.cap.4. ℣. 28.
(14) 2.Cor. cap. 2.℣.17.
(15) 2. Petr. cap. 3. ℣.16.
(16) Eccl. cap.4. ℣.28.

hæc Vrsaonensis (quæ Bononiensi, Salmanticensi, & Complutensi Apostolicis favoribus specialiter exæquata (17), iurisdictionis (18) ditata muneribus, ecclesiasticisque aucta (19) redditibus, inter præclaras totius orbis pari laurea potitur) vt vocem audiat, non mente confusa, sed fide flagrans: vocem delapsam, (20) & mirabiliter prolatam VNIGENITVS DEI FILIVS IPSVM AVDITE, non in voluntate humana allatam, sed per inspirationem de Cœlo, & in Spiritu Sancto: vocem Domini (21) in virtute, & magnificentia confringentis cedros, diabolum (22) debellantis, hæresiarchas, (23) scelerisque actores conterentis, & superbos (24) vsque ad terram humiliantis: vocem quidem Domini super aquas (25) contradictionis, & tribulationis, quæ licet (26) multiplicentur, elevant tamen Ecclesiam in sublime; vnde (27) quantò

(17) Bul. Paul. III *Erectionis*, quæ incipit, *In superemineti, &c.* die 10. Oct. an. 1548.

(18) Bul. Paul. III *Iurisdictionis* quæ incipit, *Circa quorũcumque studiorum, &c.* die 6. Maij, an. 1549.

(19) Bul. Iul. III. *Annexionis*, quæ incipit, *In Apostolicæ dignitatis, &c.* die 20. Iulij 1551.

(20) 2. Petr. c. 1. ℣. 17. 18. 21.

(21) Psalm. 28. ℣. 4. 5.

(22) Ezech. cap. 31. ℣. 3. *Ecce Assur quasi cedrus.*

(23) Zach. c. 11. ℣. 2. *Vlula abies, quia cecidit cedrus.* (24) Isai. cap. 2. ℣. 13. *Dies Domini super omnes cedros libani sublimes, & erectas.* (25) Vbi sup. n. 21. ℣. 3. (26) Genes. c. 7. ℣. 17. (27) V. Bed. ser. 18. de sanct.

tò in paſsione fortior, tantò eſt clarior in honore: vocem igitur (28) dantis ſpiritum conſilij, & intellectus, & (29) cui venti, & mare obediunt, nos, qui (30) ex Deo ſumus, incunctanter (31) audimus, in aure (32) cordis percipimus, totoque mentis deſiderio complectimur, & tamquam (33) oves boni, verique Paſtoris agnoſcimus.

In (34) magiſterio ergo huius vocis eruditi, & armati (35) ab auditione mala non timemus: (36) ſi conſiſtant adverſus nos caſtra, non pavebit cor noſtrum; & licet exurgat adverſus nos prælium (37) erimus ad bella doctiſsimi; (38) tanta enim divinitus ſoliditate munita eſt, vt eam neque hæretica vnquam corrumpere pravitas, nec pagana poterit ſuperare perfidia.

Sonet (39) igitur vox veſtra, B. P. dulcis in auribus noſtris: vox (40) vitæ, quæ ſicut confeſſores ſuos in cœleſtia provehit, ita negatores in inferna demergit; voxque (41) ſuavem faciens melodiam, in qua (42) novum, vetuſque

(28) Vbi ſupr. n. 21. ℣.7.
(29) Matth. c. 8. ℣.27.
(30) Ioan. cap. 8. ℣.47.
(31) Leo Pap. Hom. de Transfigur.
(32) Greg. Pap. Hom. 18.
(33) Ioan. c. 10. ℣.16.
(34) S. Leo ſerm 2. in aniver. ſuę Aſſump. ante med.
(35) Pſalm. 111. ℣.7.
(36) Pſal. 26. ℣.3
(37) Cantic. cap. 3. ℣.8.
(38) Vbi ſupr. n. 34.
(39) Cantic. cap. 2. ℣.14.
(40) S. Leo Pap. ſerm. 3. vbi ſup.

que teſtamentum incorruptum vtrumque harmonicè concordant.

Pro hoc ſtudio (43) mens veſtra, B. P. quaſi (44) alter CLEMENS invigilat, vt tantæ ſapientiæ lux fidelium corda perſundat, & Novatorum confutet inſanias. Verè ſunt inſaniæ; quia (45) corrupti, & abominabiles in ſtudijs ſuis ædificaverunt gymnaſium ſecundum leges (46) nationum, & receſſerunt à teſtamento ſancto: in eo tamen (heu dolor!) paraverunt (47) vaſa mortis, vt animas innocentes interficiant.

Nunquid non eſt inſanitas, & perverſitas facereConſtitutionem veſtram, B. P. regulam Lesbiam ad ſui regulati normam, & ad quod quiſque vult, & ſentit accommodabilem, & attemperatam? Quòd quàm præpoſterum ſit pervelle expreſsit Auguſtinus dicens: *Hæc* (48) *eſt in hominibus magna, & vſitata perverſitas, qua, cum debeant ipſi vivere ſecundum voluntatem Dei, Deum volunt vivere ſecundùm voluntatem*

(41) Eccl.c.40. ℣. 21.

(42) Hugo Card. in expoſit. cap.citat. n. 38.

(43) D. Thom. in Procem. caten.aur.

(44) Ad Philip. cap.4.℣.3. *Adiuva illas quæ mecum laboraverunt in Evangelio cũ Clemente.*

(45) Pſal.13.℣.2

(46) 1. Mach. c. 1.℣.15.

(47) Pſal.7.℣.14.

(48) Conc. 1. in Pſalm.48.

tem ſuam ; & cum ipſi nolint corrigi, illum volunt depravare, rectum non arbitrantes, quod ille vult, ſed quod ipſi volunt. An non eſt dementia, & procacitas velle Conſtitutionem VNIGENITVS obtemperare proprio iudicio pro arbitratu electo; non electionem ſuam, aut iudicium legi VNIGENITVS obſecundare, & loco illius ſubſtituere proprium affectum, ad cuius placitum dicta Conſtitutio reguletur? Audiatur iterum Auguſtinus : *Noli* (49) *recalcitrare, & dicere : melius diceretur, ſi ſic diceretur; quando enim potes tu dicere, aut iudicare quomodo dici expediat? Sic dictum eſt quomodo dici debuit: non corrigit æger medicamenta ſua; novit ea medicus modificare, ei crede, qui te curat.*

(49) Sup. Pſalm. 146. ℣. 6.

Sed multâ febre (50) phrenetici inſanientes in medicum (51) à veritate auditum avertunt, ad fabulas ſe convertunt, (52) obturanteſque aures ſuas, non exaudiunt vocem Veſtræ Beatitudinis venefici incantantis ſapienter;

(50) S. Auguſt. ſup. Pſ. 63. ℣. 2.
(51) 2. ad Tim. c. 4. ℣. 4.
(52) Pſalm. 57. ℣. 5. & 6.

ter; quā propter cum malevolentia, & livore, qui impudentiam nutrit, vt ait S. Hieronymus, (53) ad te, B. P. more pharisaico accedunt; cumque (54) quiescere oportet, decertare volunt, non discere, sed tentare cupientes, ita interrogant: quod est magnum mandatum in Constitutione VNIGENITVS? putantes causas allaturum ad hoc mandatum corrigendum aliquid addendo. Heu miseri! (55) vsque quo gravi corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? vtinam (56) saperent, & intelligerent, B. P. quòd (57) de cœlo fecisti iudicium.

Sed (58) cum operti sint iniquitate, & impietate sua, (59) non itrant in iustitiam tuam, fontem (60) aquæ vitæ derelinquunt, (61) viam civitatis non inveniunt; sed disperierunt (62) in Endor, factique sunt vt stercus terræ: derelinquentes (63) viam rectam erraverunt sequuti viam Balaam, ad futurum Concilium confugiunt, & (64)

(53) Apud D. Thom. in caten. aur. sup. Matth. cap. 22. ad ỷ.34.

(54) Chrys. Hō. 72. in Matth

(55) Psal. 4. ỷ. 3.

(56) Deut. c. 32. ỷ.29.

(57) Psal.75.ỷ.9.

(58) Psal.72.ỷ.6.

(59) Ps.68. ỷ.28.

(60) Ierem. c.2. ỷ.13.

(61) Ps.106.ỷ.4.

(62) Ps.82. ỷ.11.

(63) 2.Petr. cap. 2.ỷ.15.

(64) Isaiæ c. 30. ỷ.1. & ỷ.2.

tamquam filij deſertores in Ægyptum deſcendunt, ordiunturque telam, non per ſpiritum veſtrum, vt addant peccatum ſuper peccatum.

Sed quid mirum! Si, veſaniente vento ſuperbiæ inflati, ſunt ſine (65) voce; quamobrem decidentes ſunt ſine honore, in contumelia, & in confuſione inter mortuos, & damnatos in perpetuum; & (66) non cuſtodientes teſtamentum Dei, & in lege veſtra nolentes ambulare, B.V. (67) commovit illos à fundamentis, & cogitationibus ſuis, & vſque ad ſupremum deſolantur: meritò quidem; (68) quia infideles habiti ſunt in teſtamento veſtro.

Nos verò, B. P. (69) habentes firmiorem ſermonem (70) complacemus in veritate tua; cum conſilio vanitatis, & cum impijs non ſedemus; (71) ſcimuſque, quòd ſcis omnia, & non eſt opus vt quis te interroget; quia palam loqueris, & proverbium nullum dicis; veſtræque Beatitudini, id eſt,

(65) Sapient. c. 4. ℣.19.

(66) Pſ.77.℣.10.

(67) Vbi ſupr. num. 65.

(68) Vbi ſupr. n.66.℣.37.

(69) Vbi ſup. n.20. ℣. 19.

(70) Pſalm. 25. ℣. 3. & 4.

(71) Ioan.c.16. ℣. 29.& 30.

eſt, (72) Cathedræ Petri ſupra petram voce Domini fundatæ, conſociamur.

Vnde ſicut B. V. buccinavit (73) in Neomenia tuba in lucem emittens Conſtitutionem VNIGENITVS in feſtivitate NATIVITATIS Virginis; ita Vniverſitas hæc in inſigni die ſolemnitatis ſuæ, in CONCEPTIONIS feſto (cuius glorioſo titulo nimis condecorata exurgit) extollens (74) vocem, tubam perſonavit, commilitones vocavit ad Sion fidelem, cunctos virorum gradus, cœtum Doctorum, & Magiſtrorum congeſsit, populum congregavit chriſtianum, ſenes coadunavit, proceres, & parvulos vbera doctrinæ ſugentes adiunxit: (75) in vnitate ſpiritus, & vinculo pacis congregata, ſolemni apparatu, publicum paravit Theatrum, in quo (76) auditam fecit vocem laudis, exultationis, & ſalutis, qua Rector, Cancellarius, Doctores, Magiſtri, cunctarumque facultatum Cathedrarij, omnes ſimul, & quilibet (77) iuravit, &

(72) S. Hieron. epiſt. 57. ad Damaſ. S. Cyprian. epiſt.4[illegible].

(73) Emin. Hug. ſuper Pſal. 80. ℣. 4.

(74) Luc. c.11. ℣. 27.

(75) Ad Epheſ. c.4 ℣.3.

(76) Pſal.65.℣.8.

(77) Pſalm. 118. ℣.106.

& ſtatuit cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ: alternantibus poſt dulcibus concentibus, triumphalis Hymnus TE DEVM in chordis, & organo fuit decantatus, & Vniverſitas iſta ſapienter pſallit, & intellexit (78) in via immaculata; perſtrepentibus, fulgentibuſque ignibus, domus (79) noſtra repleta eſt, non infidelitatis, & ignorantiæ fumo, ſed enigmatica Fidei cognitione, à voceque tonitrui (80) adverſarij formidant: denique in cymbalis vniverſis huius populi (81) beneſonantibus, noſtra obedientia omnem (82) in locum divulgata fuit.

Gradum ſiſtimus vocibus, B. P. non affectibus, & quas pro communi Eccleſiæ vtilitate tibi grates debemus, privato, & filiali amore ſolvimus; atque poſt beatorum pedum oſcula, Apoſtolicam veſtram benedictionem humiliter poſtulamus; tantoque pro munere, gratijs actis Deo, obnixè deprecamur, vt VNIGENITVS (83) eius Filius, qui te poſuit (84) paſcere gregem populi ſui

(78) Pſ.100. ℣.2.
(79) Iſai. cap.6. ℣.4.
(80) Pſ.103. ℣.7.
(81) Pſ.150. ℣.5.
(82) Ad Rom. c.16. ℣.19.
(83) Ioann. 1. ℣.18
(84) 2. Reg. c. 7. ℣. 8. & 9.

ſui, ſit tecum in õmnibus, firmetque regnum tuum in æternum. Datum in noſtro Clauſtro pleno Vniverſitatis Vrſaonenſis congregato in Capitulari aula, GIRONA vulgò nuncupata, die nona Decembris, anno milleſimo ſeptingenteſimo decimo octavo.

BEATISSIME PATER.

Tuæ obedientiæ ſe ſe in æternum devinciunt.

Doctor Franciſcus Laurentius de Arjona Collegij Maioris, & Vniverſitatis Vrſaonenſis Apoſtolicus Iudex Ordinarius, & Rector.

Fr. Antonius à S. Thoma Ordinis Prædicatorum Præſentatus, D. Thomæ Cathedræ Primarius, in Sacra Theologia Doctor Decanus, & Vice-Cancellarius.

Fr. Ildefonſus Zeron Carmelitani Regularis Obſervantiæ Ordinis Magiſter, Moralis Theologiæ olim Cathedrarius, Doctor Theologus.

Fr. Franciſcus Contreras in Carmelitano Obſervantiæ Regularis Ordinc Magiſter, Sacræ Theologiæ Doctor.

Petrus de Toledo Villegas Canonicus inſignis Collegialis Vrſaonenſis Eccleſiæ, in Sacra Theologia Doctor, & Metaphiſicæ Cathedrarius.

Gaſ-

Gaſpar Dominguez Canonicus inſignis Collegialis Eccleſiæ Vrſaonenſis, Doctor Theologus.

Michael Solis Sacrorum Canonum Doctor Decanus.

Ioannes de la Huerta, & Reyes Sacrorum Canonum Veſpertinus, & Iuris Civilis Doctor Decanus.

Marcus Delgado Cabeza de Baca, Primarius Medicinæ Emeritus, & Doctor, Philoſophiæ Magiſter, & in vtraque facultate Decanus.

Franciſcus Ioſephus de Meſa Sacrorum Canonum Doctor, eorumque Primarius.

Franciſcus Gonzalez Medicinæ Doctor, eiuſdemque Emeritus Veſpertinus.

Ioſephus Dominguez in Sacris Canonibus Doct.

Ioannes de Morales Iuris Canonici Doctor.

Ioſephus Lopez Creſpillo Medicinæ Primarius, & Doctor.

Ildefonſus Clemens Rodriguez Medicinæ Veſpertinus, & Doctor.

Marcus de Alcazar Medicinæ Doctor, Anatomiæ, & Chirurgiæ Cathedrarius.

Chriſtophorus Vbaldus Fernandez de Cordova, Legum Veſpertinus, & Sacrorum Canonum Doctor.

Ioannes Franciſcus de Zambrana, & Quevedo Canonicus inſignis Collegialis Vrſaonenſis Eccleſiæ, Decretorum Cathedræ Moderator, & Sacrorum Canonum Doctor.

Ioſephus de Meſa Canonicus inſignis Collegialis Eccleſię Vrſaonenſis, Inſtitutionum in ſcriptis Cathedræ Moderator, in Sacriſque Canonibus Doctor.

Ilde-

Ildefonſus Perez de Luna, in Philoſophia Magiſter, Phiſicæ Cathedræ Moderator.

Fr. Andreas Portillo Seraphici Ordinis S. Franciſci Regularis Obſervantiæ Emeritus, D. Bonaventuræ Cathedrarius.

Fr. Iſidorus de Meſa Ordinis Carmelitani Regularis Obſervantiæ Magiſter, Theologiæ Moralis Cathedrarius, & in Sacra Theologia Baccalarius.

Fr. Ioannes de Zepeda Ordinis Eremitarum D. Auguſtini Magiſter, D. Thomæ Cathedræ Veſpertinus.

Fr. Petrus de Lora Ordinis Eremitarum D. Auguſtini, Sacræ Paginæ Cathedrarius.

Fr. Ioannes de Caſtro Ordinis Eremitarum D. Auguſtini, Durandi Cathedræ Moderator.

Fr. Franciſcus Gallegos Tertij Ordinis Pœnitentiæ S. Franciſci, Logicæ Cathedræ Moderator.

EX VNIVERSITATIS DECRETO.

Doct. Petrus de Toledo,
& Herrera,
Secret.

TE-

TESTIFICATIO
SVPER EA, QVÆ ACCIDERVNT IN DIE QVANDO REPETITA FVIT OBEDIENTIA
SVMMO ROMANO PONTIFICI
PER VNIVERSITATEM VRSAONENSEM
PERSISTENDO IN OBSERVANTIA BVLLÆ VNIGENITVS.

EGO Doctor Petrus de Toledō, & Herrera Canonicus Inſignis Collegialis Vrſaonenſis Eccleſiæ, Sanctæ Inquiſitionis in cauſis fidei Iudex Commiſſarius, Vniverſitatis in per antiqua Colonia de Oſſuna, authoritate Apoſtolica, & Regia erectæ, primarius Legum Regens, in eaque Secretarius deſignatus; indubiam fidem facio, Clauſtrum Doctorum in qualibet maiori facultate convocatum extraordinariè

 fuiſ-

fuisse ex decreto Domini Doctoris Domini Francisci Laurentij de Arjona dictæ Vniversitatis ad præsens Rectoris, die decima octava Novembris anni currentis per citationem vnicuique à Bedello factam vt iuris, morisque est; in eoque omnibus, & nemine dempto, præsentialiter astantibus, prædictus perillustris Dominus Rector proposuit, iam toti congressui satis notam fuisse publicationem Bullæ VNIGENITVS factam simul, & fere eodem tempore in nostra Hispania ex decreto Clementissimi Clementis XI. sedentis modò fœliciter in excelsa militantis Ecclesiæ specula (ò sedeat diutissimè, & Deus illum vsque ad senectam, & senium nunquam derelinquat) quæ quidem tota fuit super condemnatione, quæ præcesserat facta ab eodem Pontifice, variarum propositionum, quas comprehendit quidam liber Gallico idiomate impressus, & varijs tomis divisus; authore Paschasio Quesnel, condemnatione extensa ad eumdem librum sub duplici titulo typis mãdato Lutetiæ Parisiorum sub annis 1693. 1694. & denique 1699. & ad alios quoscumque

in ſupradicti defenſionem tam hucuſque editos, quàm in poſterum edendos.

Et etiam Vniverſitati notum erat tam ex vna, vel altera Bulla in forma Brevis ab eodem noſtro Romano Pontifice expedita, quàm ex eo, quòd divulgaverat fama, varios Eccleſiæ, & Regni Gallicani Præſules, aliquoſque Doctores Pariſienſis antiquiſsimę Academiæ idiomate communi dictæ *Sorbona*, eamdem condemnationem, & prohibitionem non recte tuliſſe, qui vt rebelles filij adverſus ipſam ſupremam Sedem animos, criſtâſque gallorum more erigere non erubuerunt, reputantes (licet indebitè) ſuum effectum appellatione interpoſita ad futurum Concilium (vt mos hæreticorum eſt) ſuſpendi poſſe.

Et itidem in propatulo cuique erat quòd iſta hæc Vniverſitas in ſtatutis, & vſu habet, vt omnes Doctores, & Licentiati in quâlibet facultate in ipſo actu receptionis gradus, obedientiam expreſſe iurent Romano Pontifici ſub his verbis: *Me obedientem futurum Domino Papæ.*

Et denique ſatis conſtans inter omnes

erat ex actis nostræ Vniversitatis in chartophylacio reconditis, quòd in simili fere casu expetita fuit hæc Vniversitas (sicut & Salmanticensis, & Vallisoletana) anno præterito millesimo sexcentesimo vigesimo septimo, die tertiadecima Martij à Cornelio Jansenio tunc temporis Doctore, & Cathedratico Lovaniensi, & Canonico Ecclesiæ Collegialis S. Petri Insulensis in dicta Civitate, licet posteà ad Infulam Episcopatus de Ipre in Belgio fuisset assumptus, vt eas nomine Vniversitatis Lovaniensis ad aliqua alliceret, nec his, nec illis temporibus licita, nec bene recepta, cuius colloquia forte alibi observata, & in sui favorem impressa in causa fuerunt, vt tam liberè, dissolutèque exteræ, & non Catholicæ nationes non bene (licet falsò) de Hispanis sentirent, temerè iudicantes aliquam literariam Communitatem per eumdem Cornelium stetisse, ducentes silentium in consensum, & credentes approbata nobis, quæ non viderunt refutata.

Ex quibus omnibus inquiebat Illustrissimus Rector, non solum conveniens, sed

etiam debitum fore, si hæc nostra Academia, repetendo obedientiam Romano Pontifici, publicè iurasset observantiam Bullæ VNIGENITVS, itidem detestando cum Catholica Ecclesia propositiones in dicto libro de *Quesnel* contentas, publicè affirmando ex obligatione catholica, & in exemplum cæterorum, prædictam Bullam non esse appellabilem, nedum sub prætextu futuri Concilij, & quòd de specie facti certioretur per epistolam Dominus Papa.

A D. Rectore, & Claustro commissa, & approbata fuit epistolæ directio Doctori Petro de Toledo Villegas.

Quibus omnibus auditis, & perpensis, annuerunt omnes, & vno ore, vnoque consensu resoluta fuit prædicti iuramenti publicatio, eique destinata item fuit dies octava Decembris proximi hora tertia post meridiem, vt hoc religiosissimo actu iucundior fieret festivitas mysterij Conceptionis purissimæ Beatæ Mariæ Virginis, titularis, tutelarisque nostræ Vniversitatis, in qua numerantur centum & septuaginta anni erectionis ipsius Academiæ, quam à fundamentis erexit, & dotavit, ditavitque Regia GIRONIORVM domus huic mysterio ab

an-

antiquis temporibus toto corde dedita, ob idque inter celeberrimas Catholicæ Ecclesiæ festivitates huic Oppido, Vniversitatique celebrior.

Insuper, eamdem fidem facio, quòd hesterna die ex prædicto decreto congregatum fuit Magistrorum, Doctorumque in omni facultate Claustrum in Camera rectorali, ex qua prodierunt vniversi singulari ordine, præside Domino Rectore, comitantibusque Cathedraticis in singulis facultatibus, & descedentes in atrium Scholarum, quod tunc temporis plenum erat in circuitu, & ex omni parte viris Religiosis, nobilibus, & vtriusque sexus turba copiosa, ascenderunt in Theatrum, quod sub angulo paratum erat in similitudinem tribunalis, & in capite eius thronus, sub cuius solio fuit collocata effigies Sanctissimi Patris Clementis XI. & à latere dextro extra solium sedilia ordinum composita, quasi si lex illa Roscia Theatralis revocata fuisset in vsum.

Statimque ex sua sede fuit egressus R. A. P. Fr. Antonius à Sancto Thoma ex Dominicana

cana familia, Magiſter in Sacra Theologia, in eaque pro nunc Decanus, & muneris Cancellarij vices gerens, & in ambonem concionaturus aſcendens, orationem panegyricam fecit pro explicatione ſupremæ authoritatis noſtri Romani Pontificis efficaciter perſuadens (præter quàm quod de fide eſt) quòd licet toti Eccleſiæ fuerit data poteſtas eccleſiaſtica, & ſpiritualis, Papæ tamen fuit attributa excellentiori modo tanquam capiti, ex eo quòd caput ſit dignius, pretioſius, & nobilius cæteris membris, ſiquidem membra à capite fomentum, decorem, & formam recipiunt, & quòd licet Eccleſia Romana caput ſit, ipſa tamen fuit à Chriſto fundata principaliter in Petro, & ſucceſſoribus eius, non in Concilijs, quæ vti membra ab eodem vnico capite pendent.

Hinc tranſijt explicaturus antiquitatem divini cultus, & vſum religionis iuramenti, ex quo animus radicatur fidelior, & conſtantior; & inter vnum, & alterum aſſumptum laudes, maximaque elogia Conceptionis Beatiſsimæ Mariæ Virginis ſine la-

labe culpæ originalis intexuit, ob rationes de quibus ſupra, & quia ſub hoc myſterio dicitur de Sanctiſsima Virgine, quòd ſola hæreſes interemiſſet in vniverſo mundo; & pro gloria noſtræ Vniverſitatis memoriale fecit ſuæ fundationis, & præcipuè, quòd creata fuit ſub authoritate Papę Pauli tertij, quo tempore Angliæ Regnum, & cum eo perantiqua Vniverſitas de Oxonia, idiomate vulgari *Oxford*, in hæreſim contra Eccleſiæ Caput immediatè delapſum, delapſaque fuit. Circa quæ omnia taliter peroravit, vt quaſi ſol radios, quaſi roſa ſuavitatem odoris, & quaſi ignis ſcintillas ſuas diſperſit.

Intereaque dum accincti fuimus ad iuramentum, pulſu, ſonituque cymbalorum omnium incitato, tota Civitas viciſsim, & iucundiſsimè perſonabat, & quam magno crepitu, ac fragore tormentorum, quæ ex rotulis artificiosè factis emittuntur; & cantiones ad intentum facientes ſuaviſsima modulatione vocum, & tibiarum fuerunt interpoſitæ. Et prædictus Dominus Rector, Doctores, & Cathedrarij, qui pleni antea fuiſ-

fuissent fidei ardore erga Supremam Romanam Sedem; ex tunc repleti sunt omnes ardore obedientiæ erga Romanum Pontificem, & cœperunt loqui fidelitatem cordis sui per hæc verba.

IVRAMENTUM.

Hæc forma iussu Domini Rectoris, & Claustri compaginata fuit per infrascriptũ Secretarium ad mentem delegationis, ideoque observata.

NOS Rector, Cancellarius, Doctores, & Magistri huius Vniversitatis Vrsaonensis, Cathedraticique illius in omni facultate, omnes, & singuli persistentes in Constitutione VNIGENITVS nostri Romani Pontificis Clementis vndecimi, ad præsens in excelsa militantis Ecclesiæ specula constituti, Romæ subscripta die octava Septembris præteriti anni millesimi septingentesimi decimi tertij, vltra obedientiam, quam vti Catholicæ Ecclesiæ filij, & à pijssima matre educati, profitemur Summo Romano Pontifici communi omnium Sanctissimo Spirituali Parenti, & vltra eam obedientiam, ad quam specialiter adstringimur ex statuto nostræ Academiæ de obediendo Romano Pontifici; promitti-

mus, & iuramus Deum, Sanctaque eius Evangelia, quòd tam interiùs, quàm exteriùs, corde, vocibus, & operibus constanter obedientes erimus Bullæ VNIGENITVS: defensabimus, publicamque faciemus obedientiam, quæ dictæ Constitutioni VNIGENITVS præstari debet: condemnantes, repellentes, & anathematizantes vnam supra centum propositiones, quas prædicta Constitutio condemnat, repellit, & anathematizat: firmiter confitendo prædictam Constitutionem non esse appellabilem, nec vllo modo reformari, nec modificari debere; consequenterque nullam, & iniquam esse appellationem interpositam ad futurum Concilium: omnesque ex debito obligationis adstringi ad defendendam sub Constitutione prædicta Ecclesiæ, & Summi Romani Pontificis causam. Ita iuramus, sic nos Deus adiuvet, & hæc Sancta eius Evangelia.

Quibus peractis omnes in suas sedes restituti, modulato solemniter hymno TE DEVM, ex eis in Cameram rectoralem, vnde exierunt, revertuntur. Hæc fuit pompa, hæc species, hic actus iurandi obedientiam Romano Pontifici tanta maiestate dignissimus. De quibus omnibus, quia eis ex munere meo interfui, indubiam, vti dixi, fidem facio, & meo nomine, signoque solito subscripsi, & ex mandato Domini Rectoris, & insignis Vniversitatis sigillo maiori munivi. Datum Vrsaone nona die mensis Decembris, anno Domini millesimo septingentesimo decimo octavo.

Loco ✠ sigilli.

Doct. Petrus de Toledo
& Herrera.
Secret.